
3 1761 09622404 3

RECTOR

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

D. GUSTAVUS HAENEL

MEMORIAM

INSTAURATAE REI CHRISTIANAE

ET

SOLEMNEM INAUGURATIONEM SUCCESSORIS IN SUMMO MAGISTRATU ACADEMICO

D. XXXI. M. OCTOBRIS A. D. MDCCCLIV.

CONCELEBRANDAS INDICIT

INTERPRETE

D. THEODORO ALBERTO LIEBNER

ORDIN. THEOL. H. T. DECANO DES.

INTRODUCTIO IN DOGMATICAM CHRISTIANAM.

PARTICULA I.

LIPSIAE

LITTERIS EXPRESSUM A. EDELMANNI, TYPOGRAPHI UNIVERSITATIS.

INTRODUCTIO

IN

DOGMATICAM CHRISTIANAM.

SCRIPSIT

D. THEODORUS ALBERTUS LIEBNER.

LIPSIAE MDCCCLIV.

Placet de hujus scriptionis causis et rationibus quaedam, quae non praeter rem et lectorum usum videantur esse, praefari. Atque ex hoc genere ante omnia velim hoc sciri: quae hoc libello continentur introductionis in dogmaticam christianam principia, ea jam tribus abhinc lustris me mente concepisse et in scholis etiam dogmaticis tradidisse, neque inde ab eo tempore habuisse, cur vel mutarem multa vel adderem, ita ut principiorum illorum iterum iterumque perpensorum veritas magis mihi in dies probata sit. In publicum autem ea nunc edere constitui idcirco, ut aliquomodo subvenirem huic dogmaticae parti profecto difficillimae, viam indicando et rationem, qua, urgente ecclesiae necessitate, nunc quidem coli ea atque tractari debeat. Quod utrum et quatenus — hàc praesertim, quae a munere academico postulabatur, forma, non uno nomine incommoda — consequutus sim, id judicare erit eorum, qui et

argumenti gravitate difficultateque allecti et ipsi in rebus dogmaticis expediendis diu seduloque versati ad ea legenda accesserint.

Est autem simul huic in dogmaticam introductioni propositum illud, ut libri mei quinque abhinc annos editi: Die christliche Dogmatik aus dem christologischen Princip dargestellt. Erster Band: Christologie, oder die christologische Einheit des dogmatischen Systems — interpres quodammodo et vindex exsistat talis, qualis a nonnullis, ni fallor, desiderata est. Etenim in libro illo, qui totus in dogmate ipso explicando versatur, notiones illae et normae atque regulae universae, in quibus per se recte exponendis haec unice se continebit introductio, latent tantum vel passim occasione data significantur, non consilio et data opera explicantur. Quum tamen ad ea, quae illic de dogmate ipso disputantur, recte perspicienda permagni sine dubio momenti sit, ut normae illae universae per se quoque spectentur et explicatior quaedam earum cognitio atque scientia efficiatur, id ipsum ego hoc subsidiario quasi libello praestare volui. Quem quum aliter ab aliis acceptum iri provideam, adversariis tamen quoque hac qualicunque scriptione, si fieri possit prodesse pacisque conciliandae ansam praebere ex animo volui et, ut fiat, vehementer exopto. Quomodocunque autem de hac introductione judicabitur, hoc unum certe eâ assequuturum me esse spero, ut appareat, quale tandem sit illud, quod quidam crepant: me et, qui mecum sentiant, philosophiam docere in dogmatica, ad pantheismum declinare, et quae sunt ejus

generis alia. Nempe ficta haec esse et, nescio quo consilio, excogitata, haec introductio satis superque, ut opinor, docebit.

Denique, idque mihi profecto summum est, ad ecclesiae Lutheranae principiorum altitudinem magis magisque aperiendam et exponendam hac etiam scriptione aliquid conferri velim, quod iis, qui cogitandi cum ecclesia laborem non defugiant, acceptum et utile sit. Quamquam non is ego sum, qui, dum principia illa toto animo amplector, iis adsentiri possim, qui universam etiam theologiam antiquiorem legis instar sibi praescriptam esse atque impositam volunt, et, quidquid non ad verba cum theologis saeculi XVII. concinit, illico erroris nota designant atque condemnant. Longa de hac re est disputatio. Nunc verbo eam tetigisse sufficiat. Magni sine dubio sunt faciendi theologi illi neque satis eorum labor atque industria praedicari potest; equidem certe in comprobandis laudandisque eorum meritis nemini velim cedere. Verum enim vero num nihil nobis putemus agendum esse, nisi ut, quae illorum diligentia elaboravit, repetamus? nihilque nobis laboris dogmatici, quem suo tamen jure ecclesia a nobis postulat adeoque flagitat, relictum esse? Immo vero: ut unamquamque ecclesiae aetatem, sic nostram quoque in re dogmatica tractanda suum habere peculiare aliquod et proprium munus officiumque, ab ipso ecclesiae Domino demandatum ei, id, si quid aliud, certo nobis persuasum est. Atque si non res ipsa hoc ita esse doceret, novi profecto errores illi, qui ecclesiae veritatem turbant, neque solis antiquioris

theologiae armis ac telis cedere velle videntur, satis id demonstrare possent. Atque hac me in re cum omnibus, qui ecclesiae nostrae saluti vere student et prospiciunt, intime scio conjunctum esse.

Externam hujus libelli formam quod attinet, institui eam ita, ut lectoribus sperabam commodissimum fore: textum plane separavi ab annotationibus. Etenim in hisce annotationibus inter alia rationem etiam illam, quae inter librum meum supra excitatum et hanc introductionem intercedat, aliquanto accuratius designavi; et has idcirco proprio quodam loco poni videbatur optimum esse.

Prooemium.

De fine et consilio introductionis in dogmaticam christianam.

I.

Introductio in dogmaticam christianam, si rem accuratius aestimaveris, in eo tantummodo versari potest, ut exponantur ea, quae ad notionem dogmaticae constituendam, ita ut et quid in ea cognoscatur et quomodo appareat, necessaria sunt. Quid enim cogitari potest, quod, quaecunque est ars et disciplina, vel supra vel ante se ipsam habeat — in introductione —, praeter suam ipsius notionem universam? — A qua quidem ratione longe diversa est vulgaris illa, quae adhuc in dogmaticae introductione tractanda obtinuit ratio. Multa enim et varia in hanc introductionem conferre atque congerere uberiusque in ea explanare traditione quasi sancitum est (paucis exceptis, qui, etsi non diserte et explicite, quodammodo tamen animi sententia tendunt ad id, quod volumus). Disseri enim solet hoc loco de religione, de revelatione, de miraculis et vaticiniis, de scriptura sacra et de inspiratione, de symbolis ecclesiae, caet.: non vero eo consilio, ut notioni tantummodo dogmaticae con-

stituendae ista inserviant, sed ut hoc loco plene explicentur omnibusque numeris dogmatice absolvantur. Id quod in introductione quidem nec potest fieri nec licitum est. Etenim notiones illae neque vere neque subtiliter exponi possunt, nisi in ipsa dogmaticae penetralia descenderis, sive summa theologiae, anthropologiae, christologiae, soteriologiae causas et rationes paratas atque in promtu habeas. Quin etiam intimo et arctissimo cum istis rationibus nexu notiones illae explicandae indeque repetendae sunt, nisi inanes illas et futiles evadere velis.

2.

Religio quid sit intelligi plane ac perspici nequit, nisi firmissime innitaris primum quidem theologiae et anthropologiae dogmaticae bene cognitae. Objectum enim et auctor etiam religionis profecto Deus est: subjectum homo. Deus et homo in religione coeunt arctissimoque unionis vinculo inter sese continentur[1]). Quae igitur illa foret religionis definitio, cognitio, scientia, quae ignoraret et prorsus intactam relinqueret quaestionem eam, qui et qualis sit Deus et quomodo homini ita jungi et quasi inhabitare possit. Religionis notio sine accuratiori Dei et hominis notione caeca est.

Dixerit fortasse quispiam, idque ingeniose profecto atque ad veritatem accommodatissime, optime ita religionem posse definiri ut dicatur, religionem esse intimam hominis tamquam personae creatae cum Deo persona absoluta unionem. Sed quid his verbis proficitur, nisi qualis sit utraque illa persona exponatur? Atqui hoc necessario ducit in universam theologiam et anthropologiam.

In theologia dogmatica (i. e. doctrina de Deo) tres potissimum partes non minus distinguendae, quam inter sese conjungendae

sunt: physica, logica, ethica[2]). Quod si recte conficitur, tum demum notio personae omnibus numeris absolutae ea qua par est ratione emergit, nec non, quod in hac re summum est, s. Trinitatis dogma, quantum quidem fas est et per litteras sacras licet, intelligitur. Hac autem luce de Dei natura accensa, qua Deum in semet ipso omnibus numeris absolutum esse cernimus, manifesta atque aperta est via, qua Deus amore ductus liberoque decreto[3]) mundi creandi consilium inierit, cujus quidem consilii causa et ratio ea est, quod Deus tamquam sui imaginem habere voluit personam extra ipsum positam atque finitam, quacum se ipsum communicaret et quam sui participem redderet. Summus ergo mundi creati finis est homo cum Deo arctissime jungendus i. e. religio.

Evinci profecto potest, e singulis illis notionis Dei partibus (phys., log., ethic.) singulas et proficisci posse et vere profectas esse religionis definitiones (ne dicam religiones ipsas); ut e physica Dei notione, quae versatur in essentia, substantia et vita absoluta — absol. Sein und absol. Lebendigkeit — pendet religionis definitio ea, qua religio dicitur esse sensus absolutae ex superiori quadam natura (scil. Deo) dependentiae: quae propterea vera non est, quod ad unam tantum universae notionis Dei partem eamque infimam, quae ex universa Dei notione exemta et quasi avulsa est, spectat. Prodit igitur inde mere physica religionis notio, quam idcirco recte dixeris per se ad pecudes magis quam ad homines pertinere, caet. — Plane eodem modo, quo, nonnisi recte conjunctis tribus illis partibus, summa et perfecta Dei notio existit: nonnisi recte conjunctis iis, quae tribus illis partibus respondent, religionis notionibus plena ac perfecta religionis expositio evadit et de variis quae vulgo circumferuntur religionis definitionibus vere judicari potest.

Ut autem Dei notio — et post eam creationis et universae, quae inter Deum et mundum intercedit, rationis notio ad religionis expositionem necessaria est, ita ipsius etiam hominis cognitio ad religionem stabiliendam postulatur. Quod ut rite fiat, ante omnia illustrandum est, quid sit illud, quo homo Dei capax est[4]). In hoc ipso autem verae anthropologiae biblicae dogmaticaeque cardo vertitur (σῶμα, ψυχή, πνεῦμα, imago divina). Porro quicunque rerum dogmaticarum non ignarus est, facili negotio intelliget, quantum ad religionem definiendam tres illi status hominis, quos ecclesia, scriptura sacra duce, ponit, facere debeant. Alia profecto religionis ratio erit in statu integritatis (cf. Apol. Conf. Aug. I. 53. 54.), alia in statu corruptionis sub peccato et sub lege, alia denique in statu restitutionis sub gratia justificationis. Quae cum ita sint, quomodo, quaeso, his omissis, cum omnino de vera ac falsa religione judicari, tum ea, quae ventilari solet in introductione dogmatica de erroribus religionis (in religione obviis) quaestio institui poterit? Etiamsi enim inter nos constet de principiis illis, quae supra tetigimus, theologicis, quae tamen fere desiderantur, quomodo recte de erroribus religionis disseri poterit sine notione peccati, peccati originalis, sine doctrina de lege divina ejusque, peccato in mundum illato, conscientiaeque humanae conditione? Qui tandem recte atque plene disceptabitur de quaestione illa, quammaxime ab introductionibus dogm. ventilata: quae sit natura hominis religiosa quaeque religionis ratio psychologica.

Jam quid dicam de christologia, quae ad intima religionis penetralia spectat? Christus ipse tamquam θεάνθρωπος est religio perfecta et omnibus numeris absoluta atque universae religionis archetypus et quasi exemplar. Quid hoc est? Unde hoc ducendum

est? Hoc ad universam christologiam ducit. Et primum quidem reducit ad s. Trinitatem, qua demum recte et quantum quidem pro imbecillitate mentis humanae sacra scriptura et ecclesiae dogmate ducibus licitum est, perspecta, intelligi potest, quomodo ab aeterno in filii a patre discrimine et utriusque, spiritu sancto moderante, unione, summa ultima aeternaque religionis ratio atque causa lateat, seu quomodo ab aeterno in Deo potestas certe religionis fuerit. Creat autem Deus mundum et homines eo consilio, ut hi ad filii aeterni ejusque ad patrem relationis similitudinem suo quodam modo tamquam creaturae accederent. Deinceps, postquam peccatum interjectum est, filius ad genus humanum liberandum, redimendum, servandum fit θεάνθρωπος, atque ita in sua persona θεανθρωπικῇ suaque erga patrem coelestem per totam vitam, quam evangelia edocent, terrestrem ratione (Formula Concordiae praeclare: obedientia) archetypum et exemplar perfectae et absolutae religionis humanae exhibet. Quod, quomodo fieri potuerit, si quaesiveris, ad christologiae capita, ejus praecipue christologiae, quam ecclesia Lutherana fovet ac tenet, relegaberis; quae inter (christologiae) capita summum locum tenet doctrina de κενώσει (Joh., Paul.), de qua quamquam difficillima, summi tamen momenti quaestio est.

Hac tantum via religionis divina origo et quasi ad nos derivatio plenius ac verius perspici atque illa, quae antea memoravimus, principia religionis theologica et anthropologica per christologicam religionis rationem demum explentur et absolvuntur[5]).

Quibus statim addi potest hoc — quod ultimum atque quasi extremum hujus disputationis consectarium est —: sedem denique propriam et peculiarem religionis recte definiendae locum esse soteriologiae eum, quo agitur de justificatione, regeneratione, con-

versione, sanctificatione, unione mystica. Hoc demum systematis dogmatici loco πᾶν τὸ πλήρωμα religionis verae satis apparet et omnes thesauri religionis expositi sunt. Atque hoc loco non possumus non summa cum laetitia animoque gratiarum erga Deum plenissimo edicere ac profiteri, a sacrorum nostrorum emendatoribus, quum doctrinam de justificatione hominis sola fide in Christo posita consequenda e scriptura sacra eruerent et contra omnem adversariorum perversitatem et petulantiam evincerent, unice veram religionis notionem (cum vera religione ipsa) in omne aevum prorsus admirabili modo servatam et stabilitam esse. Namque intima doctrinae illius de justificatione, quae in universa re christiana regia quasi potestate dominatur, ratio unum plane idemque est quod vera religionis notio[6]). Quod qui neque illis temporibus necdum nostra aetate intellexerunt, numquam veram religionis notionem assecuti sunt semperque religioni alieni quid et quasi peregrini immiscuerunt.

Dici vix potest, quantum his omnibus neglectis in expositione religionis peccatum sit; quam aperta et facilis hoc modo ad subjectivismum quendam et rationalismum adeoque nihilismum in religione via parata sit; quam male juventuti potissimum studiosae prospectum et consultum sit, cum ei tam vana atque tenuia — saepissime exiles tantummodo et steriles quaedam quaestiones psychologicae de sede religionis caet. — pro ipsis sapientiae dogmaticae initiis venderentur: ita quidem, ut ejusmodi doctrinae multo magis ad religionem eludendam atque ex animo evellendam quam ad inculcandam eam idoneae atque accommodatae essent.

3.

Simillima maximam partem disputatio instituenda foret de revelationis notione. Nimirum Deus (triunus) sese revelat homini, et perfecta omnibusque numeris absoluta revelatio sive revelatio plane personalis est Christus, θεάνθρωπος, ipse; i. e. ea revelatio, quae non modo abrupte et passim facta, fulguris instar corruscantis et transeuntis, sed per totam vitam hujus personae sanctissimae atque beatae continuata est. Vides igitur, theologiam, anthropologiam et christologiam etiam in hoc loco concurrere, indeque, quidquid unquam revelatio dicitur, quo jure dicatur, judicari debere.

De qua re nonnulla certe accuratius expositurus sum. Ut taceam ethicam revelationis rationem, de qua, quae dicenda essent, maximam partem jam latent in iis, quae de religione paulo ante exposita sunt: de physica revelationis tantummodo ratione pauca addam. Physica ejus, de qua hoc loco agitur, revelationis ratio — quam possis etiam dicere methaphysicam — in eo posita est, ut aliquid novi, quod quidem spectat ad religionem, a Deo in mundum ab ipso creatum, et possit inferri et revera inferatur. Dico autem novum h. l. id, quod universo mundo atque generi humano novum et inauditum est neque ullo modo a viribus creatis proficisci potest. Quod quomodo fieri possit, ut vere ac plene intelligatur, scriptura sacra duce mundi idea divina antea animo informata atque perspecta esse debet, qua ab aeterno in mente atque ratione divina provisum aeternoque Dei consilio decretum est, quomodo et quo loco novum illud in mundum introiturum esset[7]): qua quidem etiam

via, eaque una, fit, ut ex rationalismo illo revelationi verae infesto, qui inferiori cuidam et sterili tenuique, si non mechanismo, certe evolutionismo deditus est et quasi vinculis inhaeret, ad rationalismum divinum ac vere theologicum tandem emergamus. Systema enim illud ideae mundi divinae, (scriptura sacra dicit σοφίαν, sapientiam divinam) quod ab aeterno in mente divina fuit, in quod nobis de religionis christianae mysteriis, de Christi persona et opere salutari, cogitantibus scriptura sacra duce aliquo modo introspicere licet — illud, inquam, systema ratio unice vera est, qua nostra quoque ratio, quae per se nihil nisi aliqua in animo rationis divinae capacitas (script. s.: σκεῦος) est, eaque peccati tenebris obducta, illuminatur et ad veram cognitionem evehitur[8]). Latent hoc loco stamina disputationis perperam saepius ventilatae de supranaturalismo et rationalismo vere dijudicandae. — Est igitur revelatio ex parte idem quod miraculum, sive revelationis forma miraculum est. Miraculum autem est nova quaedam creatio, quae necessario mundum omnino creatum esse postulat, neque rebus et viribus creatis prorsus contraria est, sed — id quod aeterna illa mundi idea divina, sapientia, ratione, provisum et ordinatum est — illis sese insinuat atque accommodat easque sibi intime jungit. Ejusmodi, ut inusitato exemplo utar, fuit creatio primi hominis, Adami; quam quis negabit revelationem fuisse atque miraculum (nisi forte in hac quoque primi hominis conditione mechanismo illi atque evolutionismo insani et inepto locum dare vis)? Hac pergendum est ad novam illam creationem, qua Adamus alter, Christus, in mundum introductus est.

Nempe jam, credo, videbis, ad revelationis notionem vere constituendam opus esse theologia, cosmologia, anthropologia

dogmatica. Ergo qui tandem his neglectis idea illa mundi divina, e qua hoc loco omnia pendent, perspici possit? Ex theologia ille potissimum locus, quem supra in religionis notione consideranda tetigimus, repetendus est, quo recte docetur, a Dei omnibus numeris absoluti notione superari tum pantheismum, Deum quippe cum mundo confundentem, tum deismum, Deum et mundum plane disjungentem, ita, ut in utroque systemate et pantheistico et deistico, quamquam diverso modo, neque aut creatio aut revelatio aut miraculum locum habere possit. Deus autem ille vere absolutus et liber ex disciplina literarum sacrarum idem est, qui Deus miraculorum, qui novi quid creare atque in mundum inferre potest[9]). Ex cosmologia et anthropologia repetenda potissimum est notio naturae, quae sensibus percipitur, ejusque teleologia, i. e. naturae cum ad mentem creatam universam, tum ad voluntatem humanam eamque puram et Deo conjunctam ratione, porro doctrina de peccato et poena peccati caet. In christologia denique universa revelationis et miraculi notio absolvitur. Miraculi natura, si acu rem tangere et rei summam uno verbo dicere velis, est christologica. In christologia ipsa rursus intellectu difficillima, summi vero momenti ad miraculi notionem constituendam, quaestio est: utrum Christus miracula patraverit omnipotentia usus naturae sui ipsius divinae, per communicationem idiomatum ad humanam ipsius naturam translata, an alio quodam modo? — quae quidem quaestio solvi nequit, nisi universa Lutheranae praecipue ecclesiae christologia, quae hac quoque in re eminet, retractanda[10]). De miraculis igitur per semet ipsis et quasi extra systema dogmaticum positis — ut vulgo in iis, quas supra notavimus, introductionibus fieri solet — doceri non potest ita, ut aliquo modo satisfiat doctrinae veritati. — Idem fere

valet de vaticiniis, quorum notio unâ cum revelationis et miraculi notionibus in introductionibus solet exponi. Doctrina de vaticinio quid est — ut reliqua taceam — sine christologia, theanthropologia, praesertim sine vera ac genuina expositione muneris Christi prophetici, qua edocetur, Christum θεάνθρωπον utpote veritatem ipsam (Joh. 14, 6) centrum quasi esse universae prophetiae[11])?

4.

Doctrinae de inspiratione et scriptura sacra sedes peculiaris est in loco de verbo Dei; totus adeo locus de adminiculis gratiae huc referendus est. Quibus rursus fundamenti instar subest universa theanthropologia. Nam hic quoque omnia e Christo θεανθρώπῳ et servatore pendent[12]). —

Denique doctrinae de symbolis ecclesiae et de omnibus, quae huic doctrniae annexa et finitima sunt (ut quaestio de orthodoxia et heterodoxia), quid est sine notione et accuratiore expositione ecclesiae ipsius ejusque proprietatum, quae quem in dogmatica locum teneat et quibus principiis nitatur, satis constat[13]).

5.

His ita expositis, satis, credo, patebit, notiones illas, de quibus disseruimus, omnes extra unitatem et nexum systematis christiani ipsius positas atque tractatas non posse non imbecilles et exiles, immo maximam partem vanas ac futiles prodire. Sunt enim ita a radicibus suis altioribus quasi avulsae et abstractae atque vera sua vi et potestate destitutae. Id quod inde ab illo tempore, quo ista

introductionem dogmaticam tractandi ratio invasit, cum summo verae theologiae dogmaticae damno et detrimento revera evenit. Atque hoc rationalismus, qui dicitur, recentior, ambabus manibus arripuit in suumque usum vertit. Summo ei gaudio erat haec notionum illarum et argumentationum (maxime revelationis, miraculi, vaticiniorum, inspirationis) in antiquiori nostra theologia supranaturalistica et orthodoxa imbecillitas et fragilitas. Et quum facili negotio ista rei vere christianae quasi propugnacula — quae dicebantur — everti posse videret, arcem jam ipsam expugnasse sibi videbatur et hominibus indoctis persuadere id studebat. Straussius in libri notissimi parte I. hanc rem ad finem tantum perduxit: et qui nunc rei vere christianae adversarii in illas notiones invehuntur, nihil agunt, nisi ut stratagema illud repetant. At miro errore, ut ex iis quae supra disputavimus patet, hi omnes capti sunt. Profligant sane et e medio tollunt notionem quandam revelationis, miraculi, inspirationis etc., sed non veram; immo umbram tantum et simulacrum quoddam veritatis impugnant et persequuntur. Et quam vere miserabilis est plebis illius christianae (s. v. v.) conditio, quae unâ cum istis notionibus universam rem christianam cecedisse existimat.

Cuncta posita sunt in christologia et soteriologia. Christus θεάνθρωπος, servator noster, justificatio nonnisi per fidem in Christo positam consequenda — haec sunt, in quibus omnia continentur. Quae quidem cognitiones christologicae, si, verâ theologia christiana et anthropologia substructâ, confirmatae sunt, reliqua omnia sponte quasi sequuntur, et notionum etiam illarum, de quibus hoc loco agitur, veritas atque sinceritas necessario prodit ipsaeque bene et ita, ut pondere nativo non careant, fundatae sunt. Multum, quin plurimum valet in hac re notio Dei christiana vere exposita, i. e. doctrina

de sancta Trinitate, quae una ad omnes in theologia errores luculenter superandos et suo quemque loco errorem convincendum nata quasi et apta est. Ergo his summis in locis certamen ineundum, hic tamquam pro aris et focis acerrime pugnandum est. Contra hanc notionum christianarum arcem nihil ab adversariis effici potest. In his saxis et rupibus omnes, qui notionem religionis, revelationis, miraculi etc. evangelio insitam impugnant, comminuuntur et prorsus franguntur. Admodum profecto dolendum est, haud exiguum theologorum etiam numerum — quam plebem theologorum dixerim — ad altiores has indagationes ponderandas, comprehendendas et perspiciendas adeo non idoneum esse, ut etiam contemnant eas atque despiciant. Accedit partium studium et caecus furor. Si quid, quod vulgares, consuetas et tritas istorum hominum opiniones excedit, proponitur, clamitant statim alii, haec esse philosophica, inutilia, nimis subtilia, alii, haec declinare ab ecclesiae veritate esseque haeretica. Quod Deus vertat in melius!

6.

Contineat ergo sese et coerceat introductio in dogmaticam et hanc solam sibi provinciam demandatam esse putet, ut notionem dogmaticae strenue et solide explicet. Hoc in negotio tanget quidem notiones illas et non illas tantum, sed omnia principia dogmatica s. totam, ut ita dicam, substantiam dogmaticam perlustrabit, itaque dogmaticae quodammodo universalis rationem et speciem habebit. At fine illo atque consilio clare proposito haec disciplina certis terminis concluditur neque molitur talia, quae exsequi non potest. Vera igitur haec introductionis universalitas ita comparata erit, ut semper

pleniorem et quasi densiorem sui ipsius in dogmatica ipsa explicationem exspectet et ut exspectetur, faciat, neque ad vanitatem illam abducat, quae plane rem cognovisse atque penitus exhausisse sibi videtur, quum vix primis labris eam degustaverit.

7.

Attamen fuerunt nostra aetate, qui, Schleiermachero maxime duce, farragini illi notionum introd. dogm. vulg. optime prospicere eamque in ordinem et unitatem quandam redigere sibi posse viderentur, si peculiarem ex iis disciplinam s. scientiam conderent eamque apologeticae nomine ornarent. Fecit hoc inter nostros prae caeteris Sackius, inter catholicos a Drey, in libris summa laude dignis. Hujus apologeticae, quam dogmaticae praecedere et viam munire voluerunt, consilium, si recte video, hoc fere fuit. Demonstrare conantur, religionem christianam ab ipso Deo singulari quodam modo revelatam esse. Quodsi intellectum et probatum fuerit, revelationem formam esse religionis christianae, tum materiam ejusdem religionis in dogmatica ipsa fidenter exponi posse.

Cui quidem conamini nihil aliud oppono, praeter ea quae jam supra exposui, ex quibus illud etiam luce clarius mihi apparere videtur, revelationis formam et materiam dogmatum, theologiae, anthropol. caet., nullo pacto ita posse inter se divelli, ut illa per se, qualis sit, intelligatur; immo omnem formae revelationis explicationem et argumentationem ex ipso dogmate materiali repeti debere. Quod ex parte ipsa etiam apologetica illa, invitis auctoribus, probat.

Denique nuper Langius in dogmaticae ab ipso scriptae parte I., quam dixit philosophicam — (quam p. II. positiva et p.

III. practica sequuntur) — introductionem illam vulgarem et hanc apologeticam, unâ adeo cum religionis philosophia, in unum aliquod corpus redigendi periculum fecit. Quâ quidem dogmatica philosophica positivae, i. e. ei, quae vulgo dicitur dogmatica, viam sterni vult. Multa et magna in hoc libro vir ille eximius et plane singulari ingenio praeditus tam eruditionis quam acuminis specimina, ut solet, edidit. Sed — det mihi hanc veniam, ut in re gravissima hoc quidem loco verbo dicam quod sentio — dubito, an rem confecerit. Nec nomen nec res satis placet. Non ita, ut Langius docet, a rationibus philosophicis ad res positivas pergi et transiri posse puto, immo rem plane inverti debere secundum verum systematis christiani ordinem atque sententiam. Eâdem de caussa notiones illas, de quibus hoc loco agitur, a Langio, quamvis singula quaedam egregie ingeniosissimeque tractata sint, omnino tamen non satis apte et ad rem ipsam accommodate explicatas esse contendo iisdem plane ductus argumentis, quae supra exposui. Nimirum si summam rei spectas, in eodem haec dogmatica philosophica versatur errore[14]).

8.

Ad explanandam dogmaticae christianae notionem his tribus opus est continuo nexu persequendis:

I. Dogmatica est scientia de fide christiana („fides quaerens intellectum: „credo, ut intelligam").

II. Id accuratius atque plenius definitur ita, ut deinceps dogma-

ticae indoles et natura illa exponatur, qua dogmatica est theologia systematica.

III. Res denique absolvitur dogmaticam accurate ab ethica christiana discernendo.

Nimirum in prioribus duabus partibus ad dogmaticam ab ethica discernendam nondum animum advertimus. Res adhuc latet. Postremo demum ipse expositionis decursus ad hoc discrimen ducit. Porro per universum hunc decursum tenendum est, partem I. ita tantum veram esse, ut partes II. et III. sequantur. De *δόγματος* vocabulo in calce demum, ut par est, totius disputationis disseretur.

Pars prima.

Dogmatica est scientia de fide.

9.

Dogmatica est scientia de fide, i. e. in universum: dogmatica exhibet, eruit ac digerit cogitata, quae fide christiana continentur. — Scientia enim pro natura sua haud dubie in cogitationibus s. ideis contemplandis versatur. Hae cogitationes et ideae in dogmatica sunt cogitationes fidei inhaerentes, quae fides, nisi cogitata includeret, vana et inanis esset et quasi exanimata (geistlos). Jam quaeritur, quales s. cujus generis sint illae cogitationes, utrum divinae an humanae? Utraeque locum habent. Cogitationes illae sunt primum quidem divinae atque aeternae, deinde humanae et nostrae: quod denique eo ducit, ut dicendum sit: dogmatica exhibet cogitationes divinas s. ideas — sacra scriptura consilia dicit Dei aeterna, ad mundum in Christo filio suo servandum et secum uniendum capta atque inita — in facto θεανθρωπικῷ, quo mundus redemtus et servatus est, insitas, quod quidem factum primitus nonnisi per fidem, qua illud amplectimur, i. e. fidem in Christo servatore po-

sitam, spiritu sancto moderante in nosmet ipsos recipimus, nobis tanquam nostrum vindicamus et penitus imbibimus. Quo fit, ut cum hac fide, eodem spiritu sancto moderante, cogitationes quoque illae divinae, quae ab aeterno in mente divina fuerunt et facto illi innatae sunt, in nos transeant inque fide nostra insint et cogitandi opera in scientiam nobis cedere possint. Quicunque fidem in Christum habet et fide renatus veraeque ecclesiae membrum factus est, in eo latent cogitationes istae. Jam literae sacrae doctrinâ sua exponenda ideas illas e facto eruendas, inspiratione peculiari moderante, praeiverunt. Et ecclesia, cum dogma suum excoleret et symbola sclsceret, nihil aliud egit, nisi ut, sacra scriptura tanquam divina et sacrosancta regula et norma duce, ideas illas cogitando instauraret et, universa semper salutis christianae experientia intercedente, in fidei publicae corpus apte digestum atque dispositum cogeret. (Cf. P. II. et III.)

Hoc loco in memoriam revocare juvabit ideam illam mundi divinam, de qua supra in disputatione de revelatione diximus, cujus ideae centrum quasi et principium est Christus, h. e. decretum et consilium Dei aeternum illud ad mundum per Christum servandum initum: quae quidem idea per Christum verum, i. e. Christi personam et opus, fide intercedente ad nos transit nobisque inest.

Hac via fundamentum et principium ideale dogmaticae christianae vindicamus, cum reale ejusdem fundamentum sit Deus ipse, Christus et Spiritus sanctus. Et sic demum satis perspicue apparet, quid sit illud, quod agimus, cum, ecclesiae dogmate praeeunte, rei dogmaticae operam damus.

10.

Dogmatica cum sit scientia de fide, utrumque ponit et continet, fidem et scientiam, nec non utrumque plenissimo gravissimoque sensu: ponit ergo fidem christianam revelatione nixam, theisticam ethicamque, et scientiam veram, objectivam et eam, quae artis modo explicari possit; attamen ita, ut, cum scientia ista scientia fidei sit, hoc loco de scientia quadam „absoluta“ eaque autonomica, quam nostro tempore quidam desiderarunt in eaque se jactarunt, cogitari nequeat. In fide enim hoc positum est, ut rationem ac modum creaturae non excedat; neque quidquam veritatis s. cognitionis in fide inest, nisi quod a summo sui ipsius auctore (creatore) ejusdem auctoritate nixa atque confisa acceperit.

In iis, quae hoc loco dicta sunt, formula maxime universa continetur atque in promtu est, qua conscientia (das Selbstbewusstsein) quasi dogmaticae ipsius ad finem perductae exprimitur. Quae quidem dogmatica ad finem usque explicata documentum etiam est perfectum, quo rationis et relationis illius (v. fidei et scientiae) veritas demonstratur.

11.

Dogmatica nullo modo per semet ipsa a dubitatione proficiscitur, quasi quis, nisi per anfractus et angustias dubitationis transierit, dogmaticus evadere verus nequeat. Immo stat et infixa haeret dogmatica ab initio et a primis quasi incunabulis in fide firma ac plena — s. in conscientia renatorum cum universa, quae ei inest, Deum et mundum contemplandi ratione christiana — tanquam certissimo fundamento. Quae hac fide continentur — quorum quidem natura ita comparata est, ut corporis instar vivi certis finibus

circumscripta et in se per singula membra miro modo disposita sint neque quidquam aut demi iis aut aliunde addi possit — quae, inquam, hac fide continentur, ea dogmatica „immediate“ tanquam certa ponit, adeoque omnium certissima, certiora etiam iis, quae sensibus percipimus. Optime dixeris hanc esse dogmaticae conscientiam sensu hujus verbi strictissimo (Gewissen). Haec enim certitudo est non tam certitudo intellectualis, quam vitae s. vitalis, id quod proprium est conscientiae (dem Gewissen). Possit etiam dici certitudo religiosa. Quibus omnibus haec fides accurate distinguitur a vana externaque auctoritatis cujusvis approbatione. Valet sane in hac etiam re auctoritas, sed summa nostrum ipsorum auctoris auctoritas, cui fides sese tradit; quam auctoritatem omnino exuere creatura, nisi se ipsam quasi tollere velit, non potest. Pervenitur ad hanc certitudinem primum quidem vitae usu christianae ad normam ordinis salutis christianae, cum quis summo ejus, qua a peccato liberatur, conditionis desiderio ductus et poenitentiae severitate fidem assequitur. Sed in hac fide tum seminis instar scientiae ratio latet. Eam ipsam ob causam dogmatica nullo pacto dubitat, quin ea, quae fide in animo vigent, scientiae quoque disciplinâ explicari possint, adeoque, cum ad veritatem accommodate religioseque explicatae fuerint, summam veritatem et rationem s. summum, quod cogitari potest, systema efficiant. Dubitatio aliqua potest dogmaticae, dum suo fungitur munere, oriri tantum de ea re, utrum, quae in fide insita continentur per singulas partes persequuta sit et explicaverit ita, ut, quo vinculo haec inter sese cohaereant, intelligatur. Quae quidem dubitatio quum nihil aliud sit, nisi perpetuum quoddam incitamentum et stimulus quasi ad mysteria divina instar fidi religiosique dispensatoris (I. Corinth. 4,

1—2.) artis disciplinaeque ope administranda, necessario efficitur, veram illam et negativam, quam dicunt, de doctrina christiana dubitationem extra et ultra dogmaticam, h. e. in ea mentis humanae conditione, quae nec gnara nec capax est dogmaticae, positam esse. Dogmatica quidem, quum, quid sit illud, quod sibi oppositum sit, plane et perspicue perspicere debeat, eam ipsam ob causam omnia etiam ea, quae ad illam dubitationem pertinent, cognoscere debebit, sed ita, ut ipsa tanquam fundamento suo veritate christiana aliunde petita nitatur. Quod enim vulgo dicunt, nisi qui subierit et expertus sit dubitationem pervenire non posse ad christianam veritatem, id prorsus idem valet quod sententia eorum, qui nisi qui subierit et expertus sit peccatum pervenire posse negant ad probitatem bonitatemque vitae. Utriusque sententiae eadem est origo idemque fons, qui qualis sit, plene et ita, ut toti quaestioni abunde satisfiat, in ea tantum, quae de peccato est, doctrina explicari potest. Ut haudquaquam peccatum ipsum necessarium est, sed necesse tantum est, hominem tentari tentatumque vita et usu probare, vinci superarique a se eam, quam norit, peccandi facultatem: ita ne vera dubitatio quidem. Permanere sane homo in primitivo innocentiae statu non potest, sed tentetur probeturque necesse est. Simile autem quid huic innocentiae statui est fides sui nondum cogitando conscia, quae et ipsa igitur subire debet tentationem et incontaminata ex ea evadere eo labore, quo ad scientiam, in fide positam nixamque, perveniat. Poenitentiam esse necessariam h. e. homini nondum renato necessario de universae vitae suae cognitionisque conditione dubitandum esse, hoc unum est verum in illis, quae omnino de dubitandi necessitate dici solent[16]).

Sed haec hactenus. Transeamus jam ad id, quod scribendi opportunitatem nobis praebuit. Quo nexu sacra, quae concelebranda sunt, cum iis, quae supra disputavimus, conjuncta sint, cuivis cordato — qui aliquo modo novit, quid nobis jam in ecclesia et scientia ecclesiae agendum sit ad fidei vere christianae thesaurum a sacrorum emendatoribus nobis traditum rite servandum et usurpandum — statim adparebit. Quodsi tamen quis de nexu illo dubitaverit, hunc relegamus maxime ad illa, quibus veram religionis notionem una cum justificationis sola fide in Christo posita consequendae principio a reformatione vindicatam nobis et servatam esse demonstravimus. Pie igitur et cum maxima erga Deum gratiarum actione recolenda est hujus summi facinoris memoria. — Atque finitis sacris in aede Paulina publicis **FRIDERICUS LUDOVICUS MUELLER**, Fribergensis, juvenis ad reconditioris doctrinae laudem adspirans, de suggestu latine dicturus est: de Lutheri thesi prima. Deinde in aula academica Vir magnificus, **GUSTAVUS HAENEL**, Fontt. et Litt. jur. P. O., summum magistratum academicum per annuum tempus administratum ex Senatus academici decreto tradet Successori, Viro illlustri, **OTTONI LINNÉ ERDMANN**, Chem. techn. P. O. Quibus solemnibus ut **UTRIUSQUE REI PUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES ORNATISSIMI, OMNES** denique, qui rebus nostris favent, interesse velint, ea qua par est observantia rogamus.

P. P. in Univ. Lipsiensi Dom. XX. p. Fest. Trinit. a. Chr. MDCCCLIV.
